



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus IV. De Clericis Non Residentibus In Ecclesia Vel Præbenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

honestate. Sanchez lib. 7. de matrimonio. disp. 46. n. 29. quod, soluto matrimonio, privilegia recuperentur à Clerico, nam privatio ista privilegiorum uxorem ducendi Clerico decreta non est in pœnam, ita ut sit veluti depositio quædam, quod statum alium, cumque incompatibilem, & repugnantem statui clericali, assumpserit: ergo eo statu, veluti obice quodam remoto, per se redire possunt privilegia Clericorum, quandoquidem fundamentum privilegiorum, videlicet Ordo Clericalis, semper manet. Confirmatur ex *Clement. 1. de vita & honestate*, ubi similiter decernitur, si Clerici macellariorum, aut tabernariorum officium publicè, & personaliter exercent, atque tertio muniti ab Episcopo non desistant, si conjugati sint, ut privilegij Clericorum omnino priventur. Sin autem non conjugati, privilegij priventur, duntaxat quoad bona, nisi in habitu laicali incedant, tunc etiam quoad personas privilegia clericalia amittant, quamdiu ejusmodi officij institerint, *ut Gl. ait*; recuperabunt igitur privilegium, si desistant. Videri potest *Sylvest. V. Clericus 3. q. 5.*

Quæritur secundò. Num Clerico conjugato, qui monogamus est, & virginem duxit, atque Ecclesiæ servit, negotiatio permitti possit, ita ut privilegio Canonis, & fori Ecclesiastici, nihilominus gaudeat. Negat hic *Ioan. Andr. n. 3. Dominicus cõl. ult. Imola in c. Ioann. n. 6. hoc tit. argum. ejus textus*, ubi dicitur, quod tonsura secularia exercentis, in vituperium Clerici tendat. Sed probabilius affirmat *Franciscus hic S. & cum. n. 5. Sylv. loco cit. q. 3. Covar. in pract. q. 9. c. 31. n. 8. Sanchez n. 26.* Probatur. Quia de Clericis conjugatis in omnibus judicari debet, sicuti de Laicis, præter casus jure expressos: atqui in Jure Canonico nullibi reperitur expressum, quod Clerici conjugati negotiationem exercere non debeant: ergo ijs permittenda est, sicuti Laicis. *Ad c. Ioannes* Respondeo, sermonem ibi esse de Clericis, qui absolute Clericalem statum & conversationem tenent, & ideo turpe est, si secularibus negotijs se immisceant; hic autem loquimur de Clericis, qui conjugati sunt, & ita multum ad statum Laicalem desciverunt, quos proinde secularia negotia & negotiationes non dedecent.

TITULUS IV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA VEL PRÆBENDA.

CAPITULUM I.

Non liceat.

PARAPHRASIS.

Episcopus non potest relicta Diœcesi suâ ad alium Episcopatum transire, nam talis transitus non nisi ex arrogantia, & plura habendi desiderio procedit; quandoquidem nullus inventus est, qui à civitate majorè ad minorem transierit; sumptum est *ex concilio generali Sardiniensi sub Julio I. can. 1. tom. 1. Concil.*

E

Notan-

Materia ista affinis est ijs, quæ superioribus titulis de Clericis dicta sunt, siquidem ad vitam & honestatem Clericorum pertinet, non tantum, ut in vestitu, tonsurâ, & victu moderationem ac decorem servent, à mulierum familiaritate abstineant, & continentibus vivant, de quibus in superioribus dictum; sed etiam ut in beneficiis suorum titulis, atque Ecclesijs resident, atque officium debitum præstent.

NOtandum. Episcopus propriâ auctoritate non potest deserere Ecclesiam, seu Episcopatum suum, & alium acceptare. De hoc agitur *in lib. 1. Decretalium de translatione Episcopi*, ad quem locum capitulum istud potius, quam huc pertinet.

CAPITULUM II.

Ex Gestis.

PARAPHRASIS.

Anastasius Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli quinque annis ab Ecclesia sua se absentavit in alienis terris moratus, & quamvis à Leone IV. Pontifice, ter vel quater revocatus esset, tamen venire pertinaciter recusavit, ea propter Pontifex eum excommunicavit; & cum necdum resipiscere vellet, in Concilio Romano Anno 853. sub Lothario & Ludovico filio Imperat. cum sexaginta septem Episcopis congregato, deposuit, hac prolata sententiâ: Anastasium jam nuper excommunicatum presbyterum tituli S. Marcelli, qui propriam parochiam relinquens in alienâ per multa tempora nititur immorari, à Sacerdotali ministerio modis omnibus removeamus, ita ut locum restitutionis nunquam inveniat. Videri potest Baron. in eundem annum. n. 35. & Tom. 3. p. 1. f. 2. Conciliorum Colonienium fol. 92.

SUMMARIUM.

1. Curati beneficiati strictius ad residendum in suo beneficio obligati, quam alij, sub excommunicationis pœna ad residendum adigi possunt, juxta antiquos canones, & si non resipuerint, privari etiam & deponi à suis beneficijs possunt.
2. Lex pœnalis in privatione consistens, ante sententiam declaratoriam criminis etiam obligat.
3. Explicatur pluribus Tridentina constitutio, de pœna non residentium.

NOtandum. Qui curatum beneficium obtinent, strictius, quam alij beneficiarij, obligantur ad residentiam personalem; quam ob rem secundum canones antiquos sub excommunicationis pœnâ adigi possunt ad residendum, & curam sibi commissi gregis gerendam, *juxta can. 16. concily primi Nyceni*; aut si contumacia hominis resipiscere, ac redire nolentis, exposcere videatur, privationis vel depositionis perpetuæ pœna irrogari potest, uti hic apparet, & *in Concilio Antiocheno tertio can. 3.* neque discrepat *Trident. sess. 6. c. 1. de reformatione.* ubi de ijs, qui Ecclesiæ Cathedrali præsumunt, decernitur, si absque justis & rationabilibus causis per sex continuos menses, extra suam Diœcesin morando, abfuerint, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus applicandorum, privationis pœnam ipso Jure incurrant; sin per alios sex menses absint, aliam quartam partem similiter applicandam amittant; crescente verò contumacia, qui absens permanet, Romano Pontifici denunciandus sit. Et *in sess. 23. c. 1. de reformatione* habetur. Si Cathedrali Ecclesiæ cuicumque præsidens, ultra duos aut summum tres menses (seclusâ necessitate, siue causa rationabili, eaque notoriâ, vel à superiore in scriptis approbandâ) abfuerit, pro rata temporis absentia fructus suos non faciat, sed ij fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus debeant applicari, eademque similiter de parochis, & quibuscunque inferioribus curatis intelligenda esse dicitur; quare & ipsi si ultra bimestre tempus abfuerint (nisi ex causa gravi longius absentia tempus ab Episcopo suo impetraverint) fructuum restitutionem facere tenentur, & ad id ab Episcopo compelli possunt. Præterea adjungitur, quòd si per edictum citati (parochi) etiam non personaliter contumaces fuerint, vult Synodus liberum esse Ordinarijs per censuras Ecclesiasticas, sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliâque Juris remedia etiam usque ad privationem compellere.

Corolla-

Corollarium. Licet ordinariè loquendo lex pœnalis etiam ipso Jure lata non obliget delinquentem ad executionem sine Judicis (saltem declaratoria condemnatione, prout docet *lib. 1. tract. 4. c. 15. n. 3.* excipi tamen debet, nisi lex, videlicet Ecclesiastica, consistat in privatione, faciens aliquem inhabilem v. g. ad fructus beneficii sui, si non resideat, hoc casu in conscientia, & ante omnem Judicis sententiam, aut declarationem, fructus restituere cogitur, sicuti lex pœnalis postulat, prout expressè habetur *in cit. sess. 23. c. 1.*

Pro majore intellectu & praxi Tridentini Concilij constitutionum, maxime *sess. 23. c. 1.* hæc considerari possunt. Primum discrimen est inter Episcopos, & Parochos, aliosve sæculares curatos, quod illi per unum annum duobus aut tribus mensibus, seu continuè, seu interruptim à D'œcessi sua abesse possint, sine gregis sui detrimento, & ex causâ justa, cujus rei examen & judicium ipsorum conscientijs relinquatur: at verò inferiores curati, seu parochi, si tempore aliquo notabili à parochia abesse velint, Episcopi, seu Vicarij ejus licentiâ indigent, qui non nisi causâ prius cognitâ, & probatâ, in scriptis concedere debeat, quæ est probabilior interpretatio D. D. & ipsorum Cardinalium apud Garziam p. 3. c. 2. n. 19. *Less. l. 2. c. 34. N. 159. Piastrum in praxi p. 2. c. 3. n. 34. contra Navar. in Man. c. 25. n. 121. Rodri. in Summa tom. 2. c. 38. in fine.* Quem sequi videtur *Azor. tom. 2. lib. 7. c. 4. q. 9. & 10.* ubi dicit, quod etiam Parochus per duos, aut tres menses in anno absque licentiâ Episcopi abesse possit, ab Ecclesia sua, ex causâ justa, quæ ipsi talis videbitur, ita tamen, ut grex seu populus spirituales jacturam non patiatur, idque propter verba Concilij *in cit. c. 1.* quod, qui aliquantisper tantum absunt, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; id verò tempus modicum, seu moderatum absentia Synodus definit esse duos vel summum tres menses; postea verò subjungit

eadem, quæ antea de Episcopis & Archiepiscopis dicta sunt, de Parochis, aliisque inferioribus sæcularibus curatis accipienda esse. Quod postea dicitur, discedendi licentiâ Parochis causâ per Episcopum cognitâ, non ultra duos menses, nisi ex causâ gravi concedendam esse, intelligunt DD. isti, de alijs mensibus præter duos aut tres, ipsorum Parochorum conscientijs relictos.

Ego licet fatear, textum Concilij dubium videri posse, tamen magis placet, mentem fuisse Concilij, si Parochi tempore aliquo continuo, eoque notabili abesse debeant, id sine Episcopi licentiâ, causâ prius cognitâ, & probatâ, ipsi permittendum non esse, propterea etiam quia pro tali tempore v. g. trium vel quatuor septimanarum non est ipsis concessum, ut suo arbitratu vicarium constituant, sed is ab Ordinario seu Episcopo constituendus est, sicuti ex eodem *cap. 1.* colligitur, & tradit *Sanch. lib. 3. de matr. disp. 31. n. 11. Rebuff. in praxi,* ubi de dispensatione super non residentia n. 14. dicit, quod curatus, si ex causâ justa abesse velit, vicarium propriâ auctoritate constitui possit, ad tempus, modicum videlicet, quod ad tres hebdomades non extendatur *arg. cap. Si quis, 29. causa 7. q. 1.* ubi dicitur, quod presbyter, si per tres hebdomades, vel in solemnioribus festivitatibus ab Ecclesia abfuerit, puniendus sit. Vide etiam, quæ docui *in disp. de jurisdictione Ordinarij con. 151.*

Et hæc spectato communi Jure: consultissimum verò est, in his ad cujuscunque Diœcesis statuta, vel consuetudines attendere; & in hac quidem Augustana Diœcesis in decretis Synodalibus p. 3. c. 13. n. 24. habetur: Ab Ecclesia sua nullus discedat, licentiâ prius non obtentâ, quam ad unam hebdomadem dare poterit Decanus, ad longius tempus reservatam volumus Vicario nostro Generali. Ubi obiter advertit, tempus longum, aut breve absentia diversimodè æstimari, respectu diversorum locorum, statutorum, ac personarum; quare licet Tridentinum absentiam duorum, aut trium

trium mensum in Episcopis non censuerit longam, tamen in Parochis longa videri potest, quia tanto tempore Vicarium ipsimet substituere non debent, sicuti Episcopus potest Vicarium in Diœcesi relinquere.

Alterum considerandum. Quando in eodem c. 1. dicitur, Episcopum non nisi ex causa gravi licentiam dare posse curato discedendi ab Ecclesia sua, ultra duos menses, non potest facile definiri, quænam causa gravis censi debeat, sed ex varijs circumstantijs, ejusdem Episcopi seu Ordinarij arbitrio, id permittendum. Quandoquidem gravitas aut levitas, non nisi intellectûs discretionem, consideratis omnibus, ponderari, & judicari potest. Quare non arbitror universim verum esse, quod docet Garz. cit. loco c. 2. n. 40. Piastrum n. 35. & reperitur in Concil. Mediolanensi quinto p. 3. tit. de residentia, non esse causam sufficientem, ut Parochus ab Ecclesia sua ultra duos menses absit propter officium Visitatoris, Vicarij, aut Inquisitoris, ipsi ab Episcopo demandatum.

Sed contrarium docet Nav. consil. 15. hoc tit. edit. 2. eodem argumento, quia etiam Jure antiquo, à quo recedendum non est, absque Jure novo, contrario, & expresso l. precipimus 32. C. de appellationibus semper permissum fuit, ut Parochus ex justa causa ab Ecclesia sua abesset, sicuti habetur in cap. 4. hoc tit. id autem non sustulit Tridentinum, cum in cit. c. 1. permittat, ut ex causa gravi Episcopus ultra duos menses absentia licentiam det. Potest autem causa gravis videri, si in aliqua Diœcesi pro aliquo tempore non adsint alij idonei ad visitandum, inquirendum, aut Vicarij (loquitur de Generali Vicario) munus sustinendum, præter curatos, in eorum autem locum facile, & sine Ecclesiarum detrimento Vicarij substitui possint; neque fuit mens Concilij, majus bonum cujuscunque Diœcesis impedire velle. Sed tamen rectè colligitur ex cit. c. 1. non facile, aut levi de causa, si videlicet alij Clerici idonei haberi, vel accersiri possint, Parochos à

suis Ecclesijs avellendos, aliisque Diœcesis officijs applicandos esse, ita ut Parochia interim per Vicarios administrantur.

Tertium. Concilium in cit. c. 1. verbis valdè generalibus pœnam privationis fructuum ipso Jure, & absque ulla declaratione incurram statuit, si quis contra hujus decreti constitutionem abfuerit. Veruntamen cum hæc pœna gravis sit, cum ratione objecti, videlicet fructuum, secundum proportionem temporis absentia, amittendorum, tum rationem modi, ut aliquis in conscientia ante omnem etiam declaratoriam Judicis condemnationem fructus restituere cogatur; insuper sit Juris noviter constitutum, cum spectato antiquo Jure, etiam naturali, curatus absque legitima causa ab Ecclesia sua recedens, ad fructuum restitutionem non obligetur secundum Sylv. V. Clericus 4. q. 23. Apor. 10. 2 lib. 6. c. 6. q. 6. idem Confessarius severè agere non debet cum curatis, qui de absentia non legitima se accusant, sed ante omnia considerandum, num ex absentia detrimentum commissæ plebi illatum sit; si nullum, aut non æstimabile illatum fuit, esto causa absentia sufficiens non fuerit, aut modus ejus impetrandæ non legitimus, censi potest, tam gravi pœnæ canonica locum non esse, vel saltem ea severitate Tridentinum non esse receptum, præsertim cum Garz. cit. c. 6. n. 52. Grassijs in decisionibus lib. 2. c. 57. universim dicant, si Parochus substitutum, pro se absente, relinquat, locum non esse dictæ pœnæ privationis fructuum ipso Jure irrogatæ; sin autem absentia non tantum illegitima, sed etiam notabiliter perniciofa fuit, quia nullo constituto Vicario plebs deserta, tali casu proventus temporis absentia correspondentes, Parocho subduci oportere, ad fabricam Ecclesiæ, aut pauperum ejus loci sustentationem, sicuti Tridentinum Concilium requirit, & per se valde æquum est, atque idè in praxi deducendum.

Quia

PARAPHRASIS.

Aliqui instigante avaritia diversas dignitates, pluresve Ecclesias parochiales contra SS. Canones acceperunt, ita ut, cum vix unum officium implere possent, plurium stipendia absumerent: id ne de cætero fiat, Alexander III. in Concilio Lateranensi *can. 13.* severè prohibet, & adijcit, ut si Ecclesia vel Ministerium Ecclesiasticum conferri debeat, talis persona quærat, quæ residere in loco, & eam eius per se ipsum exercere possit. Quòd si collatio aliter facta sit, qui beneficium contra SS. Canones accepit, illud amitrat, & qui contulit, conferendi potestate eâ vice privetur.

SUMMARIUM.

1. Plures Dignitates, seu Personatus, aut curata beneficia Ecclesia ab eodem possideri non possunt.
2. De Privatione vel Amissione beneficij prioris ex occasione occupati secundi varia varijs temporibus statuta fuerunt.
3. De Jure communi Canonico quodlibet beneficium Ecclesiasticum residentiam personalem requirit.
4. Potest tamen in beneficijs quibusdam simplicibus consuetudine introduci, ut personalis beneficiati residentia non requiratur, sed sufficiat per vicarium deserviri.

Notandum primò. Plures dignitates seu personatus & curata beneficia Ecclesie ab eodem possideri non possunt. Ita hîc & in *c. de multa 28. de præbendis. c. dudum 34. de electione. Extravag. Execrabilis Ioan. XXII. Tridentini Concilij sess. 7. c. 4.* Ratio est, quia in his maximè beneficijs requiritur residentia personalis, nam si curatum sit, pastor diu abesse non debet, sed gregi suo invigilare, juxta *Trident. sess. 6. c. 1. de re-*

formatione, & sess. 23. c. 1. de reformatione, ubi ea residendi obligatio ex Jure divino oriri dicitur; sin verò dignitas sit, vel personatus, ad Ecclesie ejuscunq; decorem, & necessitatem pertinet, ut præcipuarum, & quæ majoris potestatis sunt, personarum præsentia non careat: quare cum idem homo in pluribus Ecclesijs residere non possit, idèd prohibitum est, ne uni plures dignitates, personatus, aut curata beneficia conferantur.

Porro quod hîc dicitur, eum, qui alterum curatum, aut personatum accipit, eo privandum esse, id secundùm tempus Alexandri III. intelligi debet; fuit enim hæc de re varijs temporibus variè statutum, sicuti *Abb. hic* notat: nam primò ante tempora hujus Concilij Lateranensis si quis duas parochias, vel duas dignitates accepit, unam, quam maluerit, dimittere jubeatur *c. Referentes 7. & c. Præterea 14. de præbendis.* Alterum tempus est hujus Concilij Lateranensis sub eodem Alexandro, ubi decernitur, ut beneficiarius beneficio posterius accepto privetur. Tertium tempus est Concilij Lateranensis sub Innocentio III. in *cit. c. de multa*, in quo statutum est, ut si quis alterum tale beneficium accepit, prius ipso Jure vacet, & si obtinens id retinere contendat, etiam altero privandus sit, sicuti habetur etiam *incit. c. dudum.* Quartum est tempus Extravagantis Joannis XXII. quæ incipit *Execrabilis, de præbendis.* In qua dictæ constitutioni *capituli de multa* adijcitur, ut Clericus, qui alterum curatum beneficium absque dispensatione consecutus est, post possessionem ejus ad eam, aut si per ipsum steterit, quò minus adipiscatur, prius incompatible statim ipso facto in manibus Ordinarij dimittere cogatur, alioquin utroque sit ipso Jure privatus, nec ad sacros Ordines suscipiendos, aut ullum beneficium Ecclesiasticum habilis existat, ipsaque beneficia Sedis Apostolicæ collationi reserventur. Quia & omnia alia beneficia, quæ per affectationem alterius à Pontifice alicui collati ipso Jure

Jure vacant, Sedi Apostolicæ reservantur. Extravag. Benedicti XII. Ad regimen de præbendis, & dixi de hoc lib. 4. tract. 2. c. 11. n. 1.

3 Notandum secundò. Spectato communi Jure Canonico omne beneficium Ecclesiasticum personale residentiam requirit. Ita significatur in hoc c. & docet Gl. recepta hic V. per se ipsum, quòd in Ecclesia illa Clericus deservire debet, in qua intitulatus est, & sequitur Innocent. hic Joann. Andr. Abb. & alij. Rebuffus de dispensatione super residentia n. 7. Azor tom. 2. lib. 7. c. 3. nam beneficium datur propter officium, seu servitium Ecclesiæ præstandum c. ult. de rescriptis in 6. cum autem alicui officium, seu servitium injungitur, intelligi solet, ut quis per se ipsum id præstet, sive, ut præsens sit, ipsique invigilet, curet id fieri, cujus causa stipendium, præbendam & honorem accipit. argum. L. nullus 60. c. de decurionibus lib. 10. ubi dicitur, quòd nemo curiæ Imperatoris servire possit per substitutum, nisi id ei specialiter concessum sit.

4 Verumtamen fermè omniù Ecclesiarum consuetudine obtentum est, ut in quibusdam simplicibus beneficijs residentia personalis non requiratur, sed per Vicarium deservire liceat. Multùm autem refert scire, non esse id secundùm Jus commune Canonicum, & primaviam beneficiorum institutione. Quare Episcopus, seu Prælati, cum Capituli consensu statuere potest, ut Ecclesiæ suæ beneficia simplicia non conferantur, nisi residentiam personale, eamque perpetuam promittentibus; dummodo talia sint beneficia, quæ ad congruam sustentationem personæ sufficient. Deinde in dubio, num beneficium residentiam requirat, in partem affirmantem ob Juris communis favorem inclinandum est, juxta c. cum dilectus 8. juncta Gl. V. Juri communi. de consuetudine, præsertim si etiam alijs locis ejusdem Diocesis talia beneficia requirant residentiam. Denique si per diuturnam consuetudinem, residendi obligatio

sublata sit, potestea denuo per consuetudinem, & quidem tempore breviori, videlicet decem annorum spatio, introduci, secundùm doctrinam Gl. in c. ult. V. consuetudo de consuetudine in 6. quæ dicit, si Jus commune non resistat, sed potius afflatur consuetudini, ad ejus introductionem sufficere tempus longum, videlicet annorum decem.

Notandum tertio. Si quis beneficium residentiam postulans conferat Clerico, qui residere non potest, in penam privandus est eâ vice conferendi facultate. Ab hac pœna discrepat casus capit. cum in cunctis 7. de electione, sicuti Abb. hinc notavit in fine capituli, nam ibi privatio eligendi, aut conferendi pro una vice infertur ijs, qui personam indignam seu inhabilem quoad ætatem, scientiam, mores, aut natiuitatem elegerint ad dignitatem; Episcopo quoque, si tali personæ contulerit dignitatem. At verò in hoc capitulo privatio non latæ sententiæ sed inferendæ decernitur ijs, qui Clericum etiam habilem alioquin ad beneficium quodcunque residentiam postulans promoverint, qui residere non potest. Hoc casu, amoto Clerico illo, alium, qui residere possit, Superior Prælati constituet.

CAPITULUM IV.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Postquam in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. constitutum est, ut Ecclesia vel beneficium tali personæ conferatur, quæ in loco residere possit, nonnulli Clericorum præsentati ad Ecclesias dixerunt, se id præstare posse, ut personaliter residere, sed postea implere omiserunt. Quare dubitavit Episcopus Eboracensis, an tales præsentatos repellere, vel institutos removere possit. Respondet Alexander Papa, quandoquidem verba decreti accipienda sunt cum effectu, Clericos præsentatos ad Ecclesias non admitti, ad-

De Cleric. non resident. in Eccles. vel præbenda. 39

admissos autem removeri debere, præterquam, si cum Prælatorum tuorum licentiâ, vel ob studium, vel aliam causam justam absint, alioquin verò nec appellationis diffugium ipsis patrocinari debet, si contra decreti intentionem interposuerint.

SUMMARIUM.

1. Verba Constitutionis intelligi debent cum effectu.
2. Ut Curatus ab Ecclesia sua possit legitime abesse, duo hæc copulativè requiruntur, licentiâ Prælati, & justa causa, nisi sit absentia tantum ad tempus modicum, & nullum omnibus damnorum eveniat.
3. Dare autem non residentis licentiâ potest is, qui potest eam imponere, saltem si Ordinarius sit.
4. Juste causa absentia ex Tridentino referuntur Christiana Charitas; urgente necessitas; debita obedientia; evidens Ecclesia, aut Reipublica utilitas.
5. Explicantur hæc causæ.
6. Quid requiratur, ut beneficiatus, ad residendum obligatus, ratione studiorum abesse possit, & redditus suos interea percipere.

Notandum primum. Verba Constitutionis intelligi debent cum effectu, ita ut finem intentum consequatur, & non frustranea, atque inutilis fiat. Consentit *c. commissæ 35. de electione in 6.* ubi cavetur, ne statutum fiat ludibrio, debitoque frustratur effectu, & non rebus, sed verbis Lex imposta videatur: etenim in Concilij Lateranensis decreto, quod *c. præcedente relatum est*, præcipiebatur, ut tali personæ beneficium conferatur, quæ residere in loco beneficii, & curam ejus per se valeat exercere: quæ verba licet superficie tenus potentiam innuere videantur, tamen propter effectum seu residentiam actualem posita sunt, cum alioquin statutum inane esset. Eadem Juris regula, quod verba cum effectu accipienda sunt, habetur *in L. 1. §. hæc au-*

tem ff. quod quisque Juris. L. penult. V. docere ff. ne quis cum, qui in Jus & c. l. Nomen 164. in fine ff. de Verborum significatione.

Notandum secundò, ut beneficiarius, præsertim curatus, ab Ecclesia sua legitime ablit, duo hæc copulativè requiruntur, licentiâ Prælati, & causa justa, ita *Gl. hic & Imol. n. 6. Abb. not. 4.* Excipe, quod etiam non petiti licentiâ abesse possit ad tempus modicum, ita ut statim sit reversurus *argu. l. 3. ff. de divorcijs*, ubi dicitur, si brevi re-verta est uxor, nec divertisse videtur; dummodo interim Ecclesia, cui servit, notabile detrimentum non patiatur, sicuti *supra dictum c. 2.* & bene monet *Abb. n. 6. in quaestione hæc*, num beneficiarius, etiam curatus, abesse possit, etiam non petiti licentiâ, considerandam scilicet esse qualitatem causæ, præjudicium, seu damnnum Ecclesiæ, & facilitatem, aut difficultatem petendi licentiâ. Veruntamen si necessitas sit discedendi ad tempus longum, seu notabile, v. g. ultra mensem, & statim licentiâ peti non possit, quia periculum in mora est, v. g. propter gravem infirmitatem, potest ac debet beneficiarius saltem ex loco absentia, seu post discessum, significare Prælato, uti annotavit *Garzias p. 3. c. 2 p. 34.*

Quæritur primò: quis possit dare facultatem non residentis, seu ab Ecclesia, aut beneficio discedendi. Resp. cum *Rebuffo cit. tit. dispensatione super non residento. n. 75.* is potest licentiâ dare, qui residentis necessitatem imponit *argu. l. 3. ff. de re judicata.* Qui damnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet; quare dici solet, ejusdem esse ligare, cujus est solvere.

Corollarium. Si statutum aliquod de residentia, ab ipso capitulo factum sit, ita ut, eo statuto sublato, residendi talis obligatio cessaret, tunc ipsum Capitulum, seu Decanus Capituli, absentia licentiâ dare potest; & hoc ipso casu pœnam quoque, tamen citra privationem, seu depositionem, residentia legem transgredientibus inferre, ad Capitulum spectat. Quòd si verò residentia

dentia statutum Synodale, seu Episcopale fit, tunc ad Episcopum pertinet in eo dispensare, vel absentia licentiam ex justa causa tribuere; sin denique residentia ex communi Jure Canonico obligat v. g. Curatos, aut dignitatem habentes, tunc ad Papam pertinet eandem facultatem inferioribus Episcopis aliisque similibus Prælati, concedere, sive absolute, sive cum limitatione, v. g. ut curatis, nisi ex gravi causa, non permittatur absentia ultra duos menses.

Datâ operâ loquor de Prælati Ordinaris: interdum enim fit, ut alius Clericus in dignitate positus, v. g. Abbas regularis, aut Præpositus Ecclesiæ Collegiæ, beneficij curati collationem habeat, provistos tamen, seu curatus jurisdictioni Episcopi subdit, ab eoque circa administrationem, & curam parochiæ pendeat. Quam ob rem ab eodem licentiam absentia petere, & ob absentiam illegitimam puniri debet, maxime si agatur ad privationem. Quare ait *Abb. hic n. 4.* quod habens potestatem conferendi, non illicetiam habet potestatem destituendi, propter delictum non residendi.

4. Quæritur secundò: quæ ceteri possint causæ justæ absentia, seu non residendi pro tempore durantis talis causæ. Resp. eas breviter signari in Trident. *Sess. 23. c. 1. de reformatione.* cum Christiana Charitas; urgens necessitas; debita obedientia; ac evidens Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulet &c. Ad Charitatem Christianam pertinet v. g. si graves inimicitia inter proximos sedandæ, eorumve spirituali salutis succurrendum fit, dummodo absentia fit sine notabili detrimento commissa plebis; alioquin major ejus habenda ratio est, quippe cui curatus ex justitia obligatur ad subveniendum, non item alijs, uti notavit *Rodrig. lib. 2. c. 34. con. 5.* Ad urgentem necessitatem spectat, si curatus, alijsve beneficiarius ad residentiam obligatus, graves inimicitias in eo loco sustineat *argu. c. pastoralis. 42. causa 7. q. 1.* tunc Episcopus, si parochum v. g.

cum Domino loci, aut Præfecto reconciliare non possit, aliud beneficium conferre illi; vel si parochus extra culpam esse censetur, interdum permittere potest, ac debet, ut constituto Vicario in loco alio tuto, ac vicino per tempus aliquod v. g. unius anni commoretur, donec lis composita sit. Huc etiam pertinet infirmitas, si in loco parochiæ Medici idonei non sint, vel infirmus, eo in loco curari non possit; item hostium incursiones, aëris intemperies, & pestilentia. Sed quod curatus in tali casu plebem suam deserere non possit, nisi idoneum substitutum relinquat, & plebis curam non omnino deserat, docui *lib. 2. tract. 3. c. 3. n. 3.*

Ad debitam obedientiam spectat, si beneficiarius à Pontifice avocetur, ut in servitio ejus sit. *c. cum dilectus 14. b. tit.* Vel si Canonicus à proprio Episcopo in auxilium aut servitium suum adsciscatur *c. ad audientiam 15. hoc tit.* & videri potest *Rebuffus loco cit. n. 34.*

Ad evidentem Ecclesiæ, vel Reipublicæ necessitatem spectat, si beneficiarius etiam curatus, pro magno commodo Diocesis, vel Reipublicæ, cujus membrum est, abesse debeat, quando alij idonei non reperiuntur, sicuti dixi *supra. c. 2.* Huc spectat litis prosecutio super juribus dignitatis, beneficij sui, aut Ecclesiæ, cui beneficiarius incorporatus est, uti dicitur *in c. ex parte 13. hoc tit.* Plura legi possunt apud *Azor to 2. lib. 7. c. 4.*

Porro ut talis causæ absentia justa, & excusans censeatur, requiritur, ut sit verè causæ absentia; sin autem curatus, alijsve beneficiarius alioquin non residere soleat, ita ut infirmitas v. g. per accidens, & concomitanter incidat, non autem sit per se causæ absentia, tunc etiam in externo foro puniri potest, sicuti docet *Rebuffus n. 83. argu. l. penult. §. docere ff. nequit eum &c.*

Notandum tertid. Ut beneficiarius ad residentiam obligatus ratione studiorum abesse possit, & redditus suos interim percipere,

per, requiritur licentia Episcopi. ita *Gl. hic*
V. Prælatorum. Imolan. 3. Andreas n. 4.
Abb. n. 6. Navar. in man. c. 25. n. 121. Sa.
V. residentia n. 8. & colligitur ex textu hu-
jus cap. quando dicitur, quod beneficia-
rius abesse possit cum licentia Prælati sui
concessâ, vel ratione studiorum, vel ob
aliam causam justam, licet aliter intelligat
Rebuffus n. 25. Ratio est, quia ad Episco-
pum, vel similem Prælatum pertinet
examinare, num beneficiarij ætas, inge-
nij aptitudo, aliæque qualitates permit-
tant, ut ad studia mittatur. Excipi debet
caus cap. ultimi de Magistris, quod benefi-
ciarijs omnibus etiam curatis concessum
sit, nullâ obstante consuetudine, aut sta-
tuto, ut quinque annis in Universitate ali-
qua Theologiæ (vel Juri Canonico secun-
dum extensionem à DD. omnibus commu-
niter receptam) studere, & quamdiu ipsis
lubitum est, tale studium docere possint,
ita ut fructus beneficiorum in absentia per-
cipiantur. Hanc facultatem cum Sedes
Apostolica communi Jure concesserit, non
potest Episcopus seu Prælatum inferior denegare,
quamvis idcirco ei intimandum sit, ut
Vicarium idoneum substituere possit.
Et ita tradit Navar. loco cit. Rodrig. p. 2.
c. 38. cor. 2. Less. de Institia c. 34. n. 103. Sa.
cit. n. 8. Quare, si Episcopus impedire velit,
quod minus curatus, qui studijs indiget, &
ad ea idoneus est, per quinquennium in
Universitate maneat, appellare is poterit,
tanquam gravatus, quandoquidem indul-
tum à Jure beneficium non est alicui aufe-
rendum reg. 17. in 6. Vide, quæ dicuntur in
ut. c. ult. de Magistris & quæ dixi in c.
cum ex co 34. de electione in 6.

CAPITULUM V.

Fraternitati.

PARAPHRASIS.

Clericum alterius diœcesis alius Episcopus
 recipere non debet sine litteris commen-
 datitijs ab Episcopo suo datis, præter-

quam, si Apostolicæ Sedis mandatum
 exhibeatur.

SUMMARIUM.

1. Clericum alterius diœcesis non debet
 recipere Episcopus ad celebrationem,
 vel beneficia, nisi litteras commen-
 datitijs ab altero habeat.
2. Sufficiunt tamen testimoniales, sive
 dimissoria.

NOtandum. Episcopus Clericum ex alia
 diœcesi venientem recipere non debet,
 ut eum celebrare permittat, aut benefi-
 cium eidem conferat, nisi litteras com-
 mendatitijs ab altero Episcopo afferat. Hoc
 ipsum percipitur in *Trident. sess. 23. c. 16.*
de reformatione, & habetur in c. 2. causa
19. q. 2. ubi ratio additur, id propter cri-
minosos constitutum esse, ne Clerici in-
fames ab alio Episcopo suscipiantur; &
cum in suo Episcopatu non possint, in alio
officia celebrare sinantur.

Corollarium. Si Clericus ob vitæ im-
 probitatem sive crimen, infamis sit, ita
 ut celebratio officiorum divinarum ei non
 permittatur, tunc discessuro commenda-
 titiæ aut testimoniales litteræ negari debent;
 sin autem moribus quidem commendatus
 non sit, non tamen ita infamis, aut pu-
 blicè suspectus, ut à sacro Ordinis mi-
 nisterio prohiberi debeat, tunc discessuro, si
 beneficium residentiam postulans non ob-
 tineat, aut illud resignavit, testimonia-
 les litteræ seu formatæ, quod sit v.g. Dia-
 conus, aut Sacerdos ritè ordinatus, dari
 debent, tamen, ut in ijs non commende-
 tur, quando commendatione dignus non
 est. ita etiam docui in *cit. c. 1. de peregrin-*
nis Clericis.

CAPITVLUM VI.

Conquerente.

PARAPHRASIS.

PResbyter R. questus est Alexandro III.
 quod, cum vix necessaria vitæ ex paro-
 chia sua percipere possit, nihilominus G.
 Cle-

F

Cle-

Clericus 20. solidos annuos, ex eadem Ecclesia exigat, asserens sibi tale beneficium collatum esse. Intellexit etiam Pontifex, quod dictus Clericus Ecclesie non deserviat, atque alia beneficia Ecclesiastica sufficientia possideat, ea propter mandat Lingonensi Episcopo, si ipsi constiterit, quod G. Clericus, vel alia sufficientia beneficia habeat, vel dicta parochiali Ecclesie non deserviat, ipsi super beneficio illo silentium, remota appellatione imponat.

SUMMARIUM.

1. Potest Episcopus, si Ecclesia parochialis abundantes redditus habeat, eam vacante, portionem detrahere ad novum beneficium erigendum; vel si pensione nimia gravatum sit, pensionem talem extinguere.
2. Non debet Clericus plura beneficia obtinere, si unum ad honestam sustentationem sufficiat.
3. Contra Clericum, qui in suo beneficio non residet, neque ei deservit, cum tamen ratio beneficii hoc postulet, agere potest Ecclesia, ut beneficio privetur.

Notandum primò. Si Ecclesia parochialis redditus abundantes habeat, tunc Episcopus, maximè eam vacante, portionem detrahere potest, ad novum beneficium erigendum, sive id fiat pro Ministro, aut Coadjutore in eadem Ecclesia, sicuti hic tradit *Abb. n. 5. Mol. n. 1. argum. hujus cap.* sive ut propter multitudinem plebis, vel nimiam distantiam alia vicina parochia seu filialis constituatur, *juxta c. 3. de Ecclesijs edificandis*, ubi Innocentius & alij id tradunt, quod Episcopus ex justa causa beneficium unum in duo dividere possit.

Porro tamen si beneficium curatum v. g. si abundans non sit, pensione gravari, aut dividi non debeat, si tamen divisio antè facta sit, aut pensio per legitimam auctoritatem imposta, tunc sibi imputare debet Presbyter, quod parochiam ita tenuerit

aut gravatam accepit, sicuti notavit *Abb. hic n. 6.* & sumitur ex hoc cap. Verum si beneficium, quod super parochialis Ecclesie redditibus fundatum est, vacare contingat, non prohibetur Episcopus illud extinguere, vel cum parochiali beneficio unire; propterea quod causa, ob quam parochiale beneficium olim divisum, vel detractio ei facta fuit, videlicet proventuum abundantia, ob temporum, & circumstantiarum mutationem cessasse jam videatur. Vide, quæ dicam in c. majoribus, s. c. extirpanda 31. de prabendis.

Notandum secundò. Non debet Clericus plura beneficia obtinere, quorum unum ipsi sufficit ad honestam vitam sustentationem: num autem sit sufficiens beneficium, ait *Gl. V. sufficientia* considerandam esse personæ qualitatem, videlicet Nobilitatem, Dignitatem, vel Doctrinam, quia majores personæ majoribus redditibus dignæ sunt, maximè qui in Ecclesia Dei laborant, eique multum profunt juxta Apostol: *1. ad Timoth. 5.* Pensandum quoque, quod beneficiarij sibi, & familiæ suæ, quam honestè alunt, sufficere debeant, atque hospitalitatem erga peregrinos, & hospites, charitatem, & misericordiam erga pauperes exercere. Vide, quæ dixi *lib. 4. tract. 2. c. 3. n. 2. & c. 8. assert. 1.*

Notandum tertio. Si beneficiarius in beneficio residentiam postulante, non residet, Ecclesia, cui servire deberet, apud Prælatum agere potest, ut privetur, seu beneficium ipsi auferatur præmissâ monitione, sicuti dicitur in c. ex parte 2. *hæc tit. ita notat Innocent. hic.*

CAPITULUM VII.

De cætero.

PARAPHRASIS.

Si Canonici duo absentes in servitio Episcopi sint, proventus beneficiorum integri, & sine subtractione provenire ipsis debent, exceptis quotidianis distributionibus.

SUM-

SUMMARIUM.

1. Potest Episcopus in commodum sua Ecclesia duos Ecclesia sua cathedralis Canonicos in servitio suo habere, qui pro residentibus ad lucrandos fructus reputari debent.
2. Et probabiliter etiam alij Prælari exempti, qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent.
3. Plures ut habeant, si necessitas id exigat, consensus Capituli accedere debet.
4. Dum dicitur nihil his taliter occupatis nisi de beneficij victualibus detrahendis, intelligitur nihil de communibus proventibus detrahendum.

Notandum. Episcopus duos Ecclesie suae Cathedralis Canonicos in servitio suo habere potest, ita ut pro residentibus habeantur, & fructus beneficiorum accipiant. Consentit *c. ad audientiam 15. h. t.* & videri potest *Navar. conf. 2. hoc tit. editione 2.* ubi ostendit, huic constitutioni derogatum non esse per Tridentinum *Sess. 24. c. 12. de reformatione.* Requiritur tamen, ut Canonicus in obsequio, & familia Episcopi verteretur, non ob suum, videlicet ipsius Canonici privatum commodum, sed neque ob privatum commodum, aut solatium Episcopi, v. g. ut venationibus cum ipso intersit, sed propter commodum Ecclesiae, *argum. l. Scribarios c. de testamento militari,* & docet *Rubiffus in cit. tit. n. 36. Azor. to. 2. lib. 7. c. 4.*

2. Quaritur primò. Num hæc facultas etiam alijs Prælati Ecclesiarum Collegiatarum concessa sit, ut Canonicos duos à servitio Ecclesiae liberos secum habere possint. Resp. ex textu id non satis colligi. Affirmant tamen *Innocentius hic. Andreas n. 1. Mol. n. 1. Abb. n. 3.* dummodo fiat ex justa causa & non in fraudem. Ego arbitror, veram esse horum sententiam, si sermo sit de Prælate exempto, & quasi Episcopali jurisdictione prædito, quia is æquiparatur Episcopo, & absolutè loquendo Ordini

narius Ecclesiae suae est: sin autem loquamur de Prælate non exempto, tum Jus nullum afferri potest, quo ipse talis licentia concessa sit; nihilominus si Ecclesiae utilitas & negotia, quæ tractat, postulare videantur, tunc justa causa aderit, cur saltem unicum Canonicum habeat secum Adjutorem, & ita intelligi potest, quod docet *Navar. in Consilio 2. h. tit.* Rationem dare debemus, cum enim Prælati quilibet cum Capitularibus faciat unum corpus tanquam caput cum membris, æquum est, ut membra capiti suo assistant, illudque adjuvent, si eorum operâ indigere videatur.

Porro si Episcopus v. g. plures, quam duos Canonicos in servitio suo ob Ecclesiae bonum occupare velit, tum etiam Capituli consensus requiretur, teste *Abb. hic n. 3.* quem tamen negare non debet, si causa justa exigat, & sine Ecclesiae Cathedralis notabili detrimento, quia alioquin Canonici abundat, id fieri possit.

Quaritur secundò. Quomodo intelligi debeat, quod in textu dicitur, de beneficio communitatis nihil detrahendum Canonicis, in obsequio Episcopi occupatis, præter victualia. Resp. cum *Abb. hic* Pontificem loqui de proventibus, qui ex communi massa, quæ & mensa capitularis dicitur, Canonicis singulis ab Oeconomo annuatim distribuuntur, victualia autem vocat quotidianas distributiones, quæ interdum in esculentis, aut poculentis consistunt, & præsentibus tantum in Ecclesia dari solent, uti hic dicitur & in *cit. c. licet 32. de præbendis.*

CAPITULUM VIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Decanus cujusdam Ecclesie transtulit se in aliam regionem, videlicet Galliam, & ibi constituta habitatione, decem annis ab Ecclesia sua absens permansit; de hoc Canonici Cælestinum tertium certiores

reddiderunt, qui ipsis rescripsit, quod nolit Ecclesiam eorum Decani officio destitui; quare mandat Canonicis, ut ipsi scribant, quod Decani officium ipsum in Ecclesia sua præstare oporteat, quod si vocatus venire noluerit, eligendi alium, qui Ecclesia præesse possit, facultatem liberam concedit ipsis Papa.

SUMMARIUM.

1. Per solum discessum à beneficio residentiam requirentis, & longam ab hoc absentiam, non censetur ei aliquis renuntiasse.
2. Monendus tamen est, vel etiam citandus absens, ut redeat, & si contumax sit, beneficio privari potest.

Nota, Si quis in beneficio suo residentiam postulante recesserit, & diu absens fuerit, dummodo aliud incompatible non receperit, non censetur ei renuntiasse, ut, tanquam vacans, alteri conferri possit. Ita *Gl. hic V. Person.* & expressius *Abb. n. 2.* quam ob rem absens moneri debet, seu vocari, ut redeat: quod si intra tempus legitimum non veniat citatus, ideòque contumax appareat, privati potest ab eo, qui destituendi potestatem habet; non autem requiritur citatio trina, nec privatio per sententiam, præmissâ iudiciali cognitione, sed ipso facto beneficium auferri, & alteri conferri potest, uti colligitur ex hoc cap. & c. sequente & notat hic *Innocent. Ioann. And. n. 2. Imal. n. 3. idem Abb. in c. sequente, Garzias plures citans p. 3. c. 2. n. 127. & sequentibus.* Ratio est, quam Innocentius dat, quia in notorio facto non requiritur ordo Juris *c. ad nostram 21. de Jurejurando*, cum itaque absentia beneficiario prohibita, sit notoria, atque insuper post monitionem personalem expectatus non veniat, procedi potest de facto, ita tamen, ut si beneficiarius postea redeat, & justam absentiae causam, sive impedimentum ostendat, restituendus sit, sicuti citati DD. docent *argu.*

c. 3. causa 7. q. 1. & c. cum Bertoldus 19. de re judicata. Monet tamen *Abb. in c. inser 10. hoc tit.* consultus esse, ut beneficiarius per iudicalem sententiam privetur, cognitâ prius causâ, quod culpabiliter & contumaciter absit.

Adverte autem, quod in Not. dixi, absentem citandum esse ab eo, qui destituendi facultatem habet, videlicet legitimo Superiore, sicuti *Innocent. & Ioann. And.* notarunt in c. sequente & hic *Abb. n. 5.* ubi ait, quod Capitulum citare non possit Decanum absentem. Hoc verò intellige de autoritativa citatione, per quam citatus in contumacia constituatur, siquidem inferiores in Superiore jurisdictionem non habent *c. cum inferior 16. de majoritate*, neque pares in parem *c. innotuit 20. de electione.* Interim verò Capitulum monere potest Decanum absentem, ut redeat, monitione charitativa, ita, ut si non pareat, postea Prælati denuntiari, vel accusari possit. Potest quoque Capitulum, aut Decanus, citare unum ex Canonicis in Ordine ad penam seu multam, quam Canonicis singulis absentibus, aut delinquentibus, seu de Jure, seu de Consuetudine inferre potest.

CAPITULUM IX.

Qualiter.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Pagusensis propriâ auctoritate recessit ab Ecclesia sua, & licet à Capitulo revocatus fuerit, tamen non rediit; quare Capitulum alium eligendi facultatem ab Innocent. III. petiit, sed Pontifex expectandum putavit, si forte respiciens ad Ecclesiam redeat: verum cum quadriennio integro abfuisset, ne Ecclesia diutius pastore careat, mandat Capitulo, ut nisi jam redierit Archiepiscopus, post mensem à receptione litterarum harum numerandum, personam idoneam in Archiepiscopum eligat.

SUM-

SUMMARIUM.

1. Capitulum absentem illegitimè Prælatum suum monere quidem potest, & rogare, ut redeat, citare tamen authoritativè non potest.
2. Sed nec Superior contra talem absentem, quamvis monitus de reditu fuerit, statim procedere potest ad privationem.
3. Unde tres modos referunt aliqui, quibus censeri possit renuntiasse aliquis beneficium.

Notandum primò. Capitulum Prælatum ab Ecclesia illegitimè absentem, potest quidem revocare, seu monere, ut redeat, sed non citare authoritativè, in ordine ad privationem, cum ea à Superiore fieri debeat, ita dixi etiam in c. præcedente, & tradit Innocent. hic asserens quantumcumque subditi moneant Prælatum, vel locum de redeundo, non possunt tamen procedere ad eligendum sine authoritate illius, in cujus manibus ille potest renunciare, vel, qui Jurisdictionem habeat, ut eum removeat.

Notandum secundò. Superior non statim procedere debet contra absentem à beneficio, etiam monitus, ut eum destituat, & alteri conferat, sed expectandum, donec vel contumacia, & temeritas clarè appareat, vel quòd beneficium pro derelicto habeat, eique tacitè renuntiet. Habenda tamen etiam est ratio Ecclesie, ut ob absentiam beneficiatij, aut pastoris notabile detrimentum diu non pariat.

Adverte, quòd Glossa b. v. quadriennium Abb. n. 5. Mol. n. 4. tres modos asserant, quibus Clericus Beneficio suo renuntiare, seu illud pro derelicto habere censetur, ut alteri conferri possit. Primò: si militie nomen dedit, & re ipsa miles factus est, secundum receptam sententiam Innocent. in c. 1. de Apostatis n. 3. Gl. in c. ult. v. redierit hoc. tit. Clari in practica S. ult. q. 73. n. 6. Flamini de resignationibus lib. 1. q. 1. n. 22. neque opus esse, ut antecedit

monitio, tradit Glossa & Abb. loco cit. Ratio est, quia obligat se ad statum incompatibilem cum Clericatu argum. L. penult. ff. ex quibus causis majoris &c. ubi dicitur, quòd milites omnes discedere à signis, sine periculo non possint. Et Glossa ibidem ait: Miles, præstat Sacramentum per genium Principis, & Deum omnipotentem, quòd mortem Reipubl. causa non evitabit. Secundò: si beneficiarius matrimonium contraxit, prout dixi in c. 1. de Clericis conjugatis. Tertiò: si absens & monitus, ut redeat, in contumacia existat, ut hic.

CAPITULUM X.

Inter.

PARAPHRASIS.

Si Clerici beneficiarij ab Ecclesia seu præbenda sua sine justa causa discedant, atque congruo tempore expectati, non redeant, Episcopus eos privare potest, dummodo justo impedimento non detineantur, quòd minùs post monitionem revertantur.

SUMMARIUM.

Potest, qui illicitè à suo beneficio, residentiam requirente, discessit, licitè tamen, superveniente postmodum impedimento, absens morari, absque eo, ut incurrat pœnam privationis.

Notandum. Tamen beneficiarius absque justa causa, & sine Prælati licentia se absentaverit, si tamen postea redeundi impedimentum incidat, v. g. infirmitas, aut quia in loco beneficij periculum pestis, hostium, aut inimicorum probabiliter timeatur, beneficio privati, seu destitui non potest; nam impedimentum superveniens excusat à pœna, de non sistentibus se decretà, dummodo non sit voluntarium, seu affectatum, teste Bartolo in L. 2. §. simili modo ff. si quis cautionibus &c. Deinde opus est, ut impedimentum, quòd incidit, sit causa non veniendi; secus autem dicendum,

dum, si etiam non superveniente impedimento beneficiarius citatus ad terminum præfixum venire amplius non potuisset, sicut *Imola* hîc docet *in fine*. Quamvis in tali casu, si res adhuc integra sit, & electio, vel collatio alteri non facta, neque sententia privationis judicialiter lata, secundum æquitatem beneficiarius admitti debeat, aliâ ipsi pœnâ propter legitimam absentiam decretâ, *argum. o. præcedentis*, cum moram commissam brevi tempore, purgare impedimentum excusans, non tantum absoluta impossibilitas, sed etiam difficultas non modica, consideratis personæ, loci, aliisque circumstantiis, intelligi debeat, *secundum Barthol. in L. continuus S. illud. n. 7. ff. de verborum obligationibus*.

CAPITULUM XI.

EX TUÆ.

PARAPHRASIS.

Si beneficiarius ab Ecclesia sua fraudulenter se absentârît, & citatio ad ipsum pervenire non possit, per trinum publicè affixum edictum citari debet; si neque tunc comparuerit, expectatis sex mensibus, si non venerit, secundum *Canones*, beneficium ei auferri debet.

SUMMARIUM.

1. Clericus absens illicitè, si malitiosè impediât, quominus ad se citatio perveniat, privari potest suo beneficio, post trinam, per edictum publicum, affixum ad valvas Ecclesie, monitionem, si intra sex menses non revertatur.
2. Et quamvis, non in omni casu, una peremptoria citatio cum legitimo tempore sufficiat, si à Iure trina requiratur, probabiliter tamen in hoc casu edicti ad valvas Ecclesie affixi, una peremptoria, cum tempore competente, sufficit.
3. Alius modus est procedendi contra Clericos taliter absentes per censuram

suspensionis & excommunicationis, & talium reductio utilis Ecclesie videbitur.

4. Et quamvis realiter degradatum non possit restituere, nisi solus Papa; verbaliter tamen depositum restituere nonnunquam potest etiam Episcopus.

Notandum. Tamen beneficiarius illegitimè absens personaliter citari debet, per nuncium, aut litteras, si sciatur, ubi sit, & citatio ad ipsum pervenire possit, uti in superioribus capitulis dictum; tamen si citatio ad ipsum, qui malitiosè absens, pervenire non possit, tunc publico edicto ad valvas Ecclesie affixo, ter citari debet, & postea, si intra sex menses non revertatur, beneficio privari. Ratio dari debet, quia si quis personaliter citatus, cum venire possit, non veniat, verè contumax reputatur, quia sciatur, quòd voluntatem veniendi non habeat; quam ob rem in tali casu, in quo etiam simpliciter, & de plano agitur, sufficit una citatio personalis. *Clem. 2. juncta Gl. V. citatione & V. non peremptorie, de verborum significatione*. At verò citatio per edictum efficit contumaciam fictè, & præsumptivè, cum certò non sciatur, num absenti innorescat, & idèò meritò statutum, ut trina citationis publicatio fiat, qua de re *Felinus in C. consuluit n. 8. de officio delegati*.

Sed dubitatur, an in hoc casu sufficiat una citatio per edictum peremptoria, dato tanto temporis spatio, quod satis sit pro tribus citationibus, ut si pro unâ citatione darentur decem dies ad comparandum, unicum edictum peremptorium affigatur, præfixo 30. dierum termino. Negat *Joan. And. hic & Abb. uterque n. 4. Felinus cit. loco*. ubi regulam tradunt, si lex requirat trinam citationem in ordine ad pœnam decernendam, non sufficere unam peremptoriam citationem; & hæc sententia vera est, si consuetudo sit, ut proclamatio præmittatur per præconem *juxta Clem. 1. de judicijs. juncta Glossa*, citius enim ejus rei cognitio perveniet ad absentem, si proclamatio

ratio ter fiat, quàm si semel. Sin autem absque præconis voce edictum publicetur ad Ecclesie valvas *juxta C. ult. de dolo.* perinde erit, si unum edictum, adjecto termino peremptorio 30. dierum proster, ac si tria edicta affigantur secundum decem dierum intervalla, sicuti Molina notavit: quare tunc generalis regula locum habere videtur tradita in *L. contumacia 13. ff. de re judicata*, quòd unum peremptorium tribus edictis æquivalet.

§.

Contra eos.

Alius modus est procedendi contra Clericos absentes per censuram suspensionis, & excommunicationis: quòd si neque hoc modo ad obedientiam & residentiam compelli possunt, tum demum ijs remotis, seu privatis, alij in locum eorum constitui debent; degradationis autem sententia in eos non promulgabitur, ut secundum misericordiam, & indulgentiam citius restitui possint. Iste modus procedendi usurpari potest contra Clericos absentes, si eorum reductio utilis Ecclesie futura sit, prout hic *Abbas* notavit, ut videlicet non statim post monitionem primam eorum beneficia alijs conferantur, tanquam deserta, sed repetitis monitionibus, atque illatis censuris, absentes ad reditum, & obedientiam adigantur: sin autem in censuris contumaciter perseverent, tunc beneficijs quidem privati, sed non ita, ut omnino ab officio deponantur, aut degradentur, nam depositio aut degradatio per sententiam fit absque spe restitutionis ordinariæ, quæ statim secutâ emendatione fieri debeat; at verò suspensum, & excommunicatum, & uno verbo propriè dictâ censurâ ligatum, Superior ex debito officij absolvere debet, cum primùm ille à contumacia recesserit.

4. Quæres. Num Episcopus beneficiarium ex tali causa depositum restituere possit. Resp.

cum Molina hic. n. 14. Abb. in cit. c. 4. §. de adulterijs. de judicijs. Vel sermo est de depositione actuali, seu reali degradatione, per quam Clericus omnibus clericalibus privilegijs exuitur, tunc restituere ad solum Papam spectat, secundum *Gl. receptam in c. red. 10. verbo restitutionibus, causa. 2. q. 6.* præterquam, si appareat, sententiam degradationis injustè, v. g. per testes falsos, latam esse, secundum *Gl. in c. Episcopus 65. causa 11. q. 3.* Vel sermo est de depositione verbali, per quam Clericus privilegia clericalia non amittit, prout dixi *lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 5.* in hoc casu distinguendum, num depositionis pœna Jure communi canonico decreta sit, & an ea sit sententiæ latæ, in quo casu Episcopus restituere non potest; an verò sententiæ ferendæ, tunc dispensare Episcopus posse videtur, & relaxare juxta ea, quæ dixi in *cit. §. de adulterijs.* Sin autem depositionis pœna Jure Canonico decreta non sit, sed ab Ordinario alicui inferatur, eò quòd incorrigibilis videatur, & alijs mitioribus pœnis emendari non possit, tunc post secutam emendationem Episcopus pœnam relaxare potest.

CAPITULUM XII.

Tuz.

PARAPHRASIS.

Altisiodorensis Episcopus quæsit ex Innocent. III. an si Canonici, quibus indultum est, ut causâ studiorum absentes, beneficiorum suorum reditus percipiant, ad castella, aut vicos, in quibus nullum, aut non congruum est studiorum exercitium, abeant, fructus nihilominus consequi debeant. Respondet Papa, cum fraus & dolus nemini patrocinari debeat, eos, qui ejusmodi fraudem committunt, dictâ indulgentiâ frui non oportere.

Sum-

SUMMARIUM.

1. *Licentia, qua conceditur, ut studiorum causâ absens à suo beneficio residentiam requirente, fructus tamen sui beneficii, suos faciat, intelligi debet de absentia in loco, ubi vigent studiorum exercitia, & ut in tali loco studiorum causâ moretur absens.*
2. *Et quamvis multi putent, eos ad hunc finem versari debere in locis studiorum generalium, sive Universitariis, alij tamen probabilis contrarium tenent.*

Notandum, Quando Jura Canonica indulgent, ut beneficiarij cum licentia Prælati sui, studiorum causâ absentes, beneficiorum suorum fructus integros, quotidianis distributionibus exceptis, percipiant, intelligi debet hæc indulgentia, dummodo versentur in loco, ubi studiorum exercitia vigent. Ratio est, quia indulgentia hæc ita intelligi debet, ut causa, ob quam concessa fuit, conservetur; sicuti enim dixi in c. 4. hoc tit. quod verba dispositionis intelligi debent cum effectu, ne alioquin sine & utilitate sua privetur, & quandoque noxia seu damnosa fiat; ita cum dicitur, quod gratia percipiendi redditus beneficiales studentibus in absentia competat, accipi debet de ijs, qui in loco studiorum versantur, ubi exercitia studiorum vigent; & non tantum hoc, sed etiam requiritur, ut ipsi in studijs se exerceant, & non tantum ibi morentur, alijs rebus v. g. lusibus, potationibus, saltationibus, linguæ discendæ &c. vacantes. Sicuti ex communi docet *Abb. in C. ultimo n. 6. de Magistris*. Imò *Bartolus in L. semper ff. de iure immunitatis. & in L. unica, not. 1. C. de collegiatis lib. II.* generatim ait, quod ille, qui est in Collegio alicujus artis v. g. mercatorum, pistorum, nec exercet artem, non debet illorum privilegio frui, nec Scholariū, qui Scholas intrat non attendens nec studens, quod præter alios etiam tradit *Abb. in c. 1. n. 39. de Iudicijs*. Et sumitur ex generaliter 40. causa 16. q. 1. Ve-

runtamen si quis dignitatem, aut officium accepit à Republica, illudque non exerceat, non amittit illud ipso Jure, sed per privationem juxta cit. L. uniam, & notavit Fel. in c. Clerici de Iudicijs.

Quæritur. Utrum necesse sit ad lucrandos fructus in absentia, ut beneficiarius studeat in Universitate, seu studio generali. Ita affirmat *And. hic n. 3. Molina n. 6. Abb. in cit. c. ult. n. 6. de Magistris*. Sed contrarium rectius docet idem *Abb. hic ex Hostiensis*, idque colligitur ex textu nostro, solum enim dicitur, eos Clericos indulgentiâ hæc Canonis non fuisse, qui in fraudem se aliò conferunt studiorum prætextu, cum tamen in eo loco nullum, aut non competens studij exercitium vigeat, ergo si in tali loco, sive sit civitas, sive villa, sive castellum, studia vigeant, & consequenter finis arque utilitas, ob quam indulgentia fructus percipiendi studentibus Clericis concessa fuit, ei locus esse debet.

CAPITULUM XIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Præpositus de Valerij in collatione Præposituræ sibi facta juraverat, quod in Ecclesia sua residere vellet. Sed quia ob negotia ejusdem Ecclesiæ interdum abesse debebat, consuluit Honorium tertium, utrum, salvo juramento suo, absentia hæc defendi possit? Respondet Papa, si in fraudem se non absentet, sed jura Ecclesiæ suæ fideliter prosequendo, quod pro residente haberi debeat, & contra Juramentum suum non agat.

SUMMARIUM.

Juramentum præstitum circa materiam Juris intelligi debet secundum limites materiae subjæctæ.

Notandum. Juramentum præstitum circa materiam Juris intelligi debet secundum limites materiae subjæctæ, ut videlicet ad plus, seu extensius non obliget, quam

quàm Jus requirat, licet obliget intensius, quia obligationi, quæ est ex Jure, sive lege, novam obligationem affert, ex virtute Religionis. Ita docet *Innocent. in C. per rnas n. 2. de arbitris. Abb. hic. n. 4. Molina n. 2.* ubi ait, quod Juramentum præstitum circa materiam Juris recipit omnes limitationes, seu exceptiones Juris, sicut etiam docui *lib. 4. tract. 3. c. 9. n. 2.* quam ob rem cum Jus commune non exigat residentiam tam strictè, ut non ex pluribus causis absentiam beneficiarijs permittat, videlicet ad jura & commoda Ecclesiæ suæ prosequenda, imò etiam ob propriam utilitatem, peritã tamen licentiã Prælati, imò etiam sine licentiã ad tempus modicum *te. Gl. hic V. per jurium. Molina. n. 7.* idè etiam Juramentum sic intelligi, sicque materiæ subjectæ adaptari debet; præterquam si in Juramento, aut obligatione speciali quidpiam ultra Juris communis limites expressè adjiciatur, quo modo Canonici residentiam, per quam Jus proveniunt acquirere solent, tali modo implere in Germania coguntur, ut nulla unquam nocte extra civitatem mancant.

CAPITULUM XIV.

Cùm Dilectus.

PARAPHRASIS.

In Ecclesia Metensi statutum vigeat, sub certa pœna fructuum privationis, residentiam præcipiens Canonicis. Accidit autem, ut Magister Otto ejusdem Ecclesiæ Canonicus inter familiares Summi Pontificis versaretur, quippe ejus obsequio in scribendo utebatur Honorius tertius, qui etiam rescribit hîc, & mandat Capitularibus, ut dum dictus Otto in servicio suo commoratur, fructus præbendæ ipsi tribuantur, non obstante illo statuto; propterea quòd non minùs absens, si in Romanæ Sedis servicio occupetur, Ecclesiæ Metensi utilis esse censetur, quàm si præsens esset, quia sæpè accidit, ut ejusmodi Romæ residentis

operâ, & auxilio negotia singulorum, quæ ex Ecclesia ea particulari sunt, promoveantur.

SUMMARIUM.

1. Beneficiati, qui Roma in servicio Sedis Apostolicæ morantur, pro residentibus in Ecclesia sua haberi debent.
2. Si tamen Pontifici, quæ tali in obsequijs Ecclesiasticis obsequium præsent, non autem si morantur tantùm ob suum commodum, & propriã voluntate, in negotijs temporalibus.
3. Capitulum seu inferior Prælati non potest statuere aliquid contra Jus universale Canonicum.

Notandum primò, Beneficiarij, qui Romæ in servicio Sedis Apostolicæ morantur, pro residentibus in Ecclesia haberi debent. Ratio est partim ea, quæ in textu affertur, quia dum ibi morantur, multum Ecclesiæ suæ particulari, ejusque membris singulis, in expediendis negotijs, & promovendis juribus eorum prodesse possunt; partim, quia Ecclesia Romana Universalis censetur, quatenus aliarum omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra est, consequenter, qui Ecclesiæ Romanæ servit, & obsequio tuo prodest, alijs quoque particularibus Ecclesijs prodesse, & inservire censetur, *argum. c. 3. de postulatione Prælatorum.* Et notat *Imola hic. n. 3.* Propterea, quòd honor, & proprietates Ecclesiæ originalis, ac matri-cis, quodammodo etiam derivetur in alias particulares subjectas Ecclesias, quare dici solet, quòd Clericus residens Romæ, residet ubique.

Advertunt autem DD. hîc *apud Abb. n. 3.* quos sequitur *Rebuff. de dispensatione super non residendo n. 33. Azor tom. 2. lib. 7. c. 4.* quòd non omnes in Curia Romana commorantes hoc privilegio gaudere debent, sed ij tantùm, qui Pontifici, tanquam Pontifici, videlicet in Ecclesiasticis negotijs, aut divinis officijs obsequium, seu auxilium præstant; non item ij, qui principaliter ob suum commodum, aut lucrum,

in Curia versantur v.g. Cantores, & Notarii *argum. L. Reipubl. 36. & L. non vere 42 ff. ex quibus causis majores &c.* Reipublicæ causa, ut dicitur in *L. 36.* abesse eos intelligimus, qui non sui commodi causâ, sed coacti absumt, videlicet propter publicam necessitatem, aut Principis imperium, quo sensu bene *ex Hostien.* docuit *Sylv. q. 7.* quod omnes excusentur, qui morantur in Curia Papæ ex præcepto ejus, tamen si sint Scriptores (*argum. hujus capituli*) secus si propriâ voluntate. Quamquam etiam hinc excipiendi sint curati, quorum residentia, cum Jure divino requiratur, non potest Papa absque justa necessitatis causa eam impedire, aut in ea dispensare, sicuti *Azor cit. loco.* notavit.

Notandum secundò, Capitulum vel Prælatum inferiori Papæ non potest statuere contra Jus Universale Canonicum, ita etiam *lib. 1. tract. 4. c. 7. n. 5.* docui, & sumitur *ex hoc c.* quando dicitur, quod non obstante Ecclesiæ Metensis constitutione, absentes propter servitium Papæ, fructus beneficiorum percipere debeant: cujus rei ratio est, quia tales, spectato Jure communi pro præsentibus haberi debent. Accedit hic specialiter, quod per tale statutum impediretur potestas superioris Papæ; non valet autem statutum, per quod Superioris potestas aut jurisdictio impeditur secundum *Bartolum in L. omnes populi n. 27. ff. de Iustitia & Jure.* Nisi Superior scienter & sine subreptionis vitio, tale statutum approbet, suâque autoritate confirmet, tunc enim instar privilegij cujusdam censeri debet, ita tamen, ut à Pontifice, vel Successore ejus revocari possit.

CAPITULUM XV.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

In Ecclesia Meldensi constitutio erat inter Canonicos jurata, & autoritate Sedis Apostolicæ confirmata, ut Canonici in

Ecclesia ea non residentes, fructus præbendarum non reciperent, ijs exceptis, qui infirmitate impediuntur; aut qui in Apostolicæ Sedis servitio occupantur, vel quibus ob legitimam peregrinationem, aut studium litterarum abesse contingit. Hujus statuti vigore Decanus & Capitulum Meldense Canonicis in Episcopi servitio occupatis proventus beneficiorum detrahere volebant. Quâ de re apud Pontificem Honorium questus est Episcopus, cui Papa responderet decernendo, quod duo Canonici in Episcopi servitio existentes præbendarum suarum fructus integros percipere debeant, eò quod absentes dicendi non sint, sed præsentibus, qui cum Episcopo ob ejus, & consequenter Ecclesiæ servitium, commorantur.

SUMMARIUM.

1. Statuta circa materiam Jure communi determinatam explicari debent, ut sint conformia Juri, & ab hoc non recedant, quoad omnes conditiones, & limitationes.
2. Ita ut etiam extendantur ad casus, qui Jure fictione veris equiparantur.
3. Et gaudeant etiam hi tales, taliter fictione Juris præsentibus, alijs etiam privilegijs, quæ à Jure communi præsentibus conceduntur, nisi à Jure specialiter aliqua excipiantur.
4. Aut quæ conceduntur speciali Jure Ecclesijs, ubi beneficiati sunt.
5. Ut duo Canonici Cathedralis cum Episcopo morantes fructus etiam in absentia à suis Ecclesijs faciant suos, sufficit, ut juvent Episcopum in negotijs ad episcopale munus pertinentibus.
6. Neque tamen Jurisdictione, alij etiam Clerici, qui non sunt Canonici Cathedralis, pro præsentibus haberi debent, in ordine ad fructus beneficiorum suorum percipiendos, quamvis in servitio Episcopi morentur.

7. Quam-

7. *Quamvis, si in causis Cathedralis Ecclesie, aut ob communem utilitatem Diaconi occupentur, tales beneficiarii, ab Episcopo pro presentibus haberi possint in ordine ad fructus percipiendos.*

8. *Valde tamen probabile est, non debere hanc iuris fictionem extendi ad Legatos Sedis Apostolicae.*

Notandum primum. Statutum editum circa materiam Jure communi determinatam explicari debet, ut sit conforme Juri, & ab eo non recedat, accipiatque omnes condiciones, ac limitationes ejusdem Juris. Ita *Abb. in c. præcedente n. 4. Anchoran. consi. 17. paulo post in initium. Imola hic n. 1. & docet Gl. & DD. in l. 2. C. de uxalib. actionib.* quoad statuta disponentia super eo aliquid, super quo disponit Jus commune. Et consentit *Bartol. in l. omnes populi n. 61. Gail. lib. 2. observatione 33. n. 3.* quod statutum recipit interpretationem declarativam à Jure communi. Exemplum habes hic. Statutum erat etiam à Sede Apostolica probatum, ut Canonici absentes non reciperent præbendarum suarum fructus, exceptis quibusdam casibus, qui & expressi erant in statuto; dubitatum fuit, utrùm alium casum non expressum in statuto, sed Jure communi comprehensum, comprehendere etiam debeat. Videtur, quod non, quia casus expressus in lege seu statuto, confirmat illud adversus alios non expressos casus, *secundùm Gl. receptam in C. Dominus 6. causa 32. q. 7.* Sed contrarium hic deciditur, ita ut alia nobis regula statuenda sit, *cum Abb. hic n. 2.* Si statutum quosdam casus Juri communi congruos excipiat, id exempli causa factum intelligi debet, ita, ut etiam alios consimiles, qui eodem communi Jure excepti sunt, comprehendat; cui doctrinæ consentit *Bartol. in cit. n. 61.* ubi ait, et si alioquin efficax sit argumentum, quod dici solet à sensu contrario, quando videlicet una specie, aut uno casu expresso, illatio fit, contrarium esse sentiendum, de specie,

aut casu non expresso, tamen locum non esse huic argumentationi, si casus ille non expressus à communi Jure decus sit, tunc enim dici debet, quod casus omissus remanet in dispositione Juris communis, *juxta Gl. receptam in l. sicum dotem 22. V. mulierii ff. soluto matrimonio. argum. C. in nostra 8. de injurijs.*

Ex eodem capite provenit, quod, tamen si alioquin statutum disponens in casu vero non debeat extendi ad casum fictum, seu qui talis est, non secundùm veritatem, sed Juris interpretationem, uti docet *Bartol. loco cit. & Anchoran. in c. unico hoc. tit. in 6.* quia verba proprie plerumque accipi debent, & ad impropria significativa non trahi. Excipitur tamen, si fiat statutum circa materiam Juris communis, tunc videtur comprehendere eos casus fictos, qui eodem communi Jure pro veris, seu æquiparati veris habentur. Exemplum habes hic. Statutum à Papa confirmatum erat, ut absentes seu non residentes fructus beneficiorum non acciperent, hæc pœnâ privationis non comprehenduntur duo Canonici, qui in servitio Episcopi occupantur, quandoquidem illi spectato communi Jure, cui statutum conformari censetur, non pro absentibus, sed presentibus habentur.

Sed dubium manet, si aliud privilegium Beneficiarijs presentibus concessum sit, num ij etiam gaudere eo debeant, qui secundùm Juris fictionem presentes sunt. Resp. & Dico primò. Si privilegium Jure communi concessum sit presentibus, tum eo gaudent. Ita *Ioan. And. in c. ult. n. 3. de consuetudine in 6. Abb. in e. ex parte n. 5. ibidem Imola. n. 7. hoc. tit.* Ratio est, quia cum Jus commune absolute, & generatim v. g. occupatos in servitio Papæ, aut in Ecclesiæ suæ negotijs pro presentibus habendos esse decernat, sequitur, quod omnibus presentium privilegijs, saltem Jure communi concessis, frui debeant. Sed aliud dicendum esse monent DD. citati, si Jure communi non absolute statutum sit, ut, qui ob certam causam absens est, pro presente ha-

beatur, sed ut uno aliquo commodo, aut privilegio presentium, seu residentium gaudeat, v. g. fructus lucretur, dum in loco studij versatur; talis enim reliquis presentium privilegijs non gaudebit, quia concessio specialis à Jure communi exorbitans extendenda non est.

- 4 Dico secundò. Probabile etiam est, quòd is, qui ex Juris communis favore pro presenti haberi debet, privilegijs etiam Jure speciali, seu proprio civitatis, aut Ecclesiæ concessis, gaudere debeat, v. g. quòd soli beneficiarij presentes beneficia sua permutare possint. Ita *contra Archidiacon. in cit. c. ult. quem Imola sequi videtur loco citato. Joan. And. & Abb. citatis locis.* Quare inquit Abb. si quis ex privilegio debet haberi pro presente, seu pro Cive, debet gaudere omni privilegio presentium, seu Civium, etiam in competentibus de Jure speciali. Ratio dari debet, quia semper presumendum est, quòd statuta specialia, nisi aliud expriment, conforment se, & imitentur Jus commune.
- 5 Notandum secundò. Ut duo Canonici tanquam Episcopi familiares pro residentibus habeantur, & fructus præbendæ in absentia accipiant, requiritur ita eos Episcopo servire, seu assistere, ut eorum servitium in Ecclesiæ Cathedralis commodum redundet, sicuti clarè colligitur ex textu, & monui *me de cetero 7. hoc tit.* Rectè autem docet *Glossa finalis hic*, hoc ipso, quòd aliquis juvet Episcopum in negotijs ad Episcopale munus pertinentibus v. g. Sacellarium, aut Consiliarium ejus agendo, juvare Ecclesiam Cathedralis, propter unionem videlicet, quæ est inter caput, & reliqua membra ejusdem corporis, quod est Ecclesia.
- 6 Sed quæstio est, num etiam alij beneficiarij præter cathedrales Canonicos tali privilegio fruantur, ut occupati in servitio Episcopi pro residentibus haberi debeant, & fructus percipere? Responso est Negativa *cum Abb. hic n. 8.* quia concessio ista Juris, quòd absentes pro presentibus ha-

beantur, cum sit à communi regula exorbitans, & secundum Juris fictionem contra veritatem introducta, non debet ad casus alios extendi, præsertim disparatos, seu non consimiles; id autem fieret in casu isto, nam duo cathedrales Canonici in servitio Episcopi existentes, Juris fictione, censentur presentes, & servire Ecclesiæ Cathedrali, ipsique Capitulo propter unionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulares, tanquam Caput, & proxima membra, *argum. c. requisivisti. 15. de testamentis*, quæ ratio Unionis, & hinc ortæ Juris fictionis, non ita locum habet, respectu aliorum beneficiatorum, v. g. in Ecclesijs Collegiatis,

Veruntamen si beneficiarius, aut Canonicus quicumque, in causis ad communem diocesis, aut Ecclesiæ Cathedralis utilitatem, ab Episcopo occupetur, aut alio mitatur, quia præ cæteris ad hoc idoneus & industrius censetur, tunc fructus absentiae lucrari debet, uti hic *Abb. docet allegans Gl. in c. vos 30. v. operam, causa 16. q. 1.* quando ait, quòd si alicui de Ecclesia injungitur legatio, tenetur eam recipere; constat autem, quòd nemini officium suum, atque parendi necessitas damnosa esse debet. *c. cum non deceat 30. de electione in 6.*

Ex supra dictis etiam colligitur, valde probabilem esse sententiam, quam contra communem proponit, & amplecti videtur *Abb. in c. precedente in 6. & secutus sui lib. 4. tract. 2. c. 6. n. 6.* quòd Juris ea concessio, ut duo Canonici cathedrales in servitio Episcopi occupati pro residentibus habeantur, non debeat extendi ad servitium Legati Apostolici; quia licet ea concessio, cum sit Juris communis, in ipsarum quoque Ecclesiarum utilitatem facta, extendi possit ad casus similes ob identitatem rationis (quam ob rem suprà *in c. de cetero 7. hoc tit.* talem extensionem fecimus ad Prælatos, quasi Episcopalem Jurisdictionem habentes) tamen in casu nostro non apparet rationis identitas, quandoquidem inter Legatum Apostolicum, & Canonicos Ca-

thedrales non appareat ea unio, quæ est inter Episcopum, vel similem Prælaturum, & Capitulares ejus.

CAPITVLVM XVI.

Cum ad hoc.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius IX. quoddam Ecclesia Antiochena propter absentiam Clericorum, qui in Ecclesia deservire deberent, fermè destituta esset ministris, idcirco mandat Patriarchæ, ut non obstantibus indulgentijs à Sede Apostolica datis, & licentia Patriarchæ antecessoris, quibusdam facta, Canonicos absentes, aliòsque assidios, sive præbendarios revocet ad residendum; si non venerint, tunc ex beneficiorum redditibus alios tanquam Vicarios applicet ad servendum Ecclesiæ, datâ eis congruâ portione; at verò residuum ad ejusdem Ecclesiæ utilitatem convertat.

SUMMARIUM.

1. Omnes beneficiati, spectato Jure communi ad residentiam personalem obligantur, nisi causa jam relata, aut consuetudo legitime introducta excuset.
2. Ita ut solus Papa remittere possit absolute residendi obligationem, Episcopi verò tantum ex justa causa, qua tamen licentia non est propriè dispensatio in lege Superioris.
3. Privilegium si noxium fieri incipiat Ecclesiæ, vel Reipublicæ, revocari potest ab eo, qui illud concessit.
4. Neque tamen ipso Jure annullatur, si valde impetratum fuit.
5. Et hinc revocari etiam potest consuetudo, legitime quidem introducta, postmodum tamen damnosa & nociva Ecclesiæ, vel Reipublicæ.

Notandum primò. Omnes beneficiarij spectato communi Jure ad residentiam personalem obligantur. Ita colligitur ex

textu, & dixi in c. 1. not. 2. Excipi tamen debent beneficia, quæ dicuntur portiones seu præstimonias, & secundum primam institutionem suam, absentibus quoque Clericis v. g. causâ studiorum, quasi stipendij, aut cujusdam subsidij loco conferuntur, quamvis cum obligatione aliqua, seu officij Canonici, seu officij B. Virginis, de quibus *Abb. in c. ult. n. 3. Imol. n. 9. hoc tit.* & videri possunt, quæ dixi *lib. 4. tract. 2. c. 5. n. 6.* Deinde secundum consuetudinem omnium fermè Ecclesiarum, in simplicibus quibusdam beneficijs, quæ propriè in titulum dantur, personalis residentia non requiritur; imò in quibusdam per consuetudinem quorundam locorum obtentum est, ut neque per Vicarium residere necesse sit: quod non omnino alienum esse à ratione, si beneficia sint tenuia, docet *Innocent. in c. ult. hoc tit.* eò quòd omnes Ecclesiæ particulares faciant unam Ecclesiam propter Fidei, & Charitatis unionem, & ideò, qui bene servit uni, censetur etiam servire alteri, à quo beneficium aliquod accipit, licet ibi non moretur, dummodo non etiam vagetur, sed Ecclesiæ Catholicæ utilis sit.

Notandum secundò. Solus Papa in beneficijs residentiam postulantibus, non residendi indulgentiam seu remissionem concedere potest: at verò Episcopi & similes Prælati licentiam tantum absentia dare possunt ex justa causa, dum ea durat; nam inferior tollere, aut relaxare non potest legem Superioris, nisi quatenus id ipsi concessum est, videlicet circa hanc legem residentia, ut ex justa causa absentia licentiam dare: at verò per istam licentiam non propriè relaxari legem, nec esse propriè dispensationem, docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. post principium.* Summus autem Pontifex, qui Juri Canonico præest, & in beneficijs Ecclesiasticis plenissimam potestatem obtinet, personalis residentia obligationem arbitratus suo relaxare potest, saltem validè, exceptis beneficijs curatis, in quibus, cum residentia Juris divini sit, dispensare validè non potest, nisi dispensandi causa cognoscatur,

scatur, sicuti dixi loco. est. n. II. & expressè tradit *Axor. 10. 2. lib. 7. c. 4.*

3 Notandum tertio. Si privilegium alicui concessum noxium esse incipiat Ecclesie, vel Rei publicae, revocari potest ab eo, qui concepit, vel ejusdem successore, aut Superiore. Ita tradunt etiam DD. in c. *Suggestum 9. de decimis*, & docui cit. *trakt. 4. c. 23. n. 19.*

4 Adverte, quòd dico, revocari posse; non enim ipso Jure annullatur, si ab initio validè impetratum est, sicuti dicitur in *cit. c. suggestum*. Ceterùm Princeps non solet, & plerumque non potest concedere privilegium cum notabili aliorum, praesertim communitatis, aut Ecclesiae praedictio, & damno. *argum. L. 2. C. de precibus Imperatori offerendis*, & *L. servitutes 14. §. loco. publico*, ubi id tradit *Gl. v. incommodo ff. de servitutibus*. Quam ob rem talia rescripta, & privilegia Principum falsa, aut subreptitia praesumuntur, teste *Gl. finali in c. 2. de rescriptis*; nisi expressè fiat mentio praedictio alteri inferendi, & nulla alia fraudis suspicio adsit. *L. 2. §. 16. ff. ne quid in loco publico &c.* Ubi dicitur: si quis à Principe impetravit, ut in publico loco aedificet, non est credendus sic aedificare, ut cum incommodo alicujus id faciat, neque sic conceditur, nisi fortè quis hoc impetraverit.

5 Simile quoddam dici potest de consuetudine introducta contra Jus commune, ut in simplicibus beneficiis residere non sit esse, per quam consuetudinem beneficiarius Jus quoddam non residendi acquiritur, si enim haec consuetudo, quam pono legitime praescriptam esse, tendere incipiat in notabile alicujus Ecclesiae detrimentum, quia destituitur idoneis, ac necessariis ministris, hoc casu Episcopus, novo condito statuto, consuetudinem tollere potest, requisito consensu Capituli, quem si neget, nihilominus procedere, & decernere poterit Episcopus secundum *Abb. inc. procedent. n. 4.* quia Capitulum non potest bonum Ecclesiae, quod Episcopus ex officio promovere tene-

netur, impedire; sin autem necessitas non cogat, ut residentia beneficiarius imperetur, seu quia Ecclesia Canonici abundat, seu quia absentes Vicarios constitutos habent, tunc Canonici, seu collegiatorum, de quorum residendi obligatione agitur, consensus requiritur; sufficit tamen consensus majoris partis, si Capitulum decernere, vel decernenti Episcopo consentire velit, ob commodum non proprium, sed Ecclesiae. *argum. c. ult. de his, quae fiunt à majore parte Capituli*, & tradit *Abb. cit. n. 4. Petrus Duenas reg. Jur. 297.*

CAPITVLVM VLTIMVM. Clericos

PARAPHRASIS.

Episcopus, aliisque Praelatus simili Jurisdictione praeditus potest Clericos obtinentes beneficia, quae residentiam personalem postulant, si ad aliam Dioecesein absque licentia ejus, commorandi causa, transferant, atque moniti, reversi non fuerint, beneficiis spoliare, nisi rationabilem excusationem ostendant.

SUMMARIUM.

1. *Be. est. tatus ad residentiam obligatus, si in aliena Dioecesi morari velit, à suo Ordinario, post monitionem, si non revertatur, spoliari potest beneficio.*
2. *Pluribus explicatur, utrum Canonicus v.g. in alia Ecclesia Canonicatum accipiens, renuntiare priori videatur.*

NOta Si beneficiarius ad residentiam obligatus in alia Dioecesi commorari velit, & monitus non revertatur, Ordinarius beneficio ipsum suo, ipso facto privare, sive spoliare potest, ita tamen, ut si postea reversus rationabilem absentiae causam ostenderit, restituendus sit. Contentiunt ea, quae diximus, ex parte hoc tit.

Quaestio est, si Canonicus v.g. in alia Ecclesia Canonicatum acceperit, num priori renuntiare videatur, ita, ut tanquam vacans

vacans alteri conferri queat. Antequam respondeam, notandum est ex *Innocent. hic, Imola n. 11. Abb. n. 4.* quod beneficia personalem residentiam requirunt triplicis generis sint: alia enim residentiam, eamque perpetuam per se, sive servitij præstandi causâ, postulant; alia verò talem residentiam postulant ad tempus, v.g. trium, sex, aut novem mensium in anno; alia denique postulant residentiam tantum per accidens, videlicet in ordine ad lucrandos fructus, ita ut si Canonicus non resideat, fructus quidem percipere non possit, alia tamen iura Canonicatus retineat, sicuti docet *lib. 4. tract. 2. c. 6. n. 2.* De hac ultima residentia nulla est quæstio, quia certum est, quod Canonicus in loco unius beneficii non residens, & idcirco fructus non accipiens, in alia Ecclesia Canonicatum accipere, & in eo residendo fructus lucrari possit, quia ratione sæpè accidit, ut quis sit Canonicus in pluribus Ecclesijs, sed non præbendatus in omnibus, ut *Imola hic notavit, n. 15.* Sed neque quæstio est de residentia secundi generis, dummodo ita acquirantur duo diversarum Ecclesiarum Canonicatus, ut ratione residentiam personalis secundum loci consuetudinem requisitæ compatibles sint, quare cum spectato Jure communi ob Tridentinam constitutionem *Sess. 24. c. 12. de reformatione*, habentibus dignitates, canonicatus, aut præbendas in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis, liceat ab Ecclesia sua annuatim abesse per tres menses, idcirco Canonicus talis Ecclesiæ, qui se Tridentinæ constitutioni conformat, alibi Canonicatum, aliudve beneficium accipere, & tenere potest, quod residentiam temporalem v.g. duorum aut trium mensium duntaxat requirit, non autem recipere potest Canonicatum, aliudve beneficium, quod vel perpetuam, vel temporalem longiorem residentiam postulat, ita ut sint beneficia incompatibilia, propterea quod utriusque beneficii residentiam satisfieri non possit.

Tunc verò quæstio locum habet, num per adeptionem alterius Canonicatus, prior ipso Jure vacet. Affirmat *Gl. in c. ex parte 8. v. per decem hoc. tit. Innocent. hic n. 1.* quem sequitur *Abb. n. 5.* propterea, quod acceptando alterum incompatibile beneficium, post adeptam ejus possessionem, alteri tacite, sive ipso facto renunciare videatur. Confirmatur: nam constitutio etiam pœnalis, ad casum similem, ob rationis identitatem extendi potest; cum itaque in *c. de multa 28. de præbendis* decretum sit, ut obtinens secundum beneficium curatum, vel dignitatem, prius obtentum beneficium, vel dignitatem, ipso Jure amittere debeat, idque propter incompatibilitatem, hæc autem incompatibilitas eodem modo cernatur in beneficijs simplicibus, residentias incompatibiles postulantibus, consequenter eadem constitutio locum habebit. Sed contrarium rectius post *Ioan. And. hic* notat *Imola n. 13. Azor. 10. 2. lib. 6. c. 16. q. 9.* nam à Jure antiquo recedendum non est, nisi quatenus ei derogatum est: *L. Præcipimus 32. C. de appellationibus*. Atqui spectato Jure antiquo *c. Præerea 14. de præbendis*, qui plura incompatibilia beneficia accepit, neutrum ipso Jure amisit, sed compelli debuit ad alterum, quod maluerit, dimittendum, sicuti dixi *m. c. 3. hoc tit.* Neque id Jus antiquum correctum reperitur, nisi quoad beneficia curata, personatus, atque dignitates *cir. c. de multa*: ergo in simplicibus incompatilibus beneficijs procedi debet secundum Jura antiqua, ut beneficiarius, qui alterum incompatibile accepit, cogi debeat ad alterum ex his resignandum. Ad rationem pro priore sententia respondetur, hanc tacitam renunciationem præsumendam non esse, nisi beneficiarius statum vitæ incompatibilem accipiat, videlicet uxorem ducat, aut militiæ nomen det, sicuti *Gl. hic* docet, vel, nisi talis præsumptio ipso Jure introducta sit, cujusmodi tamen Jus in casu nostro non existit, Quam ob rem communiter docent

DD.

DD. *Abb. in cit. c. ex parte n. 2. Imolan. 1. cum Gl. v. decem annorum*, quod per solam absentiam, quamvis longam, seu decem annorum, beneficiarius non censetur habere beneficium pro derelicto, seu ei renuntiare, atque ideo opus est, ut prius citetur, quam ei auferatur, & alteri conferatur. Et hoc quidem semper tutius est, ut fiat. Interim verò negari non potest, sicuti propter longam absentiam, ac desertionem rei suae, spectatis circumstantiis, ceteri potest aliquis eam pro derelicta habere, ita etiam, & quidem magis de beneficiis Ecclesiasticis iudicandum esse, quippe cum ea diu desertam esse non debeant. Ad Confirmationem respondetur, contrarium esse verum, videlicet, quod lex poenalis aut exorbitans, vel correctoria Juris antiqui propter similitudinem, seu identitatem rationis, extendi non debet, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 18. n. 9. in fine.* & sumitur ex *L. si verò 64. §. de viro ff. soluto matrimonio.* Accedit in casu nostro, diversitatis rationem esse, cum enim Ecclesiarum necessitas, seu utilitas, residentiam in curatis, aliisque duplicibus beneficiis magis requirat, quam in simplicibus, ac proinde magis Ecclesiis noxium sit, si quis plura beneficia curata, aut plures dignitates obtineat, ideo hæc pluralitas sub graviore poena canonica prohibita est.

CAPITULUM UNICUM eodem Titulo in sexto.

Consuetudinem.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII, reprobatur consuetudinem, quæ in quibusdam Ecclesiis introducta erat, ut Canonici, alique beneficiarij, distributiones quotidianas (quæ alias beneficia manualia, item victualia nuncupantur) integrè perciperent, dummodo præsentem essent in civitate, aut loco, in quo Ecclesia sita est, tamen si divinis officijs non interessent; atque statuit, ut dictæ distributiones quotidianæ Canoni-

cis, aliisque beneficiarijs, qui officijs divinis interessent, tribuantur, juxta cujusque Ecclesie rationabilem ordinationem factam, aut faciendam; qui verò de distributionibus quidpiam aliter acceperit, (ijs exceptis, quos infirmitas, seu justa, & rationalis corporalis necessitas, aut quos evidens Ecclesie utilitas excusat) rerum ita acceptarum dominium non acquirat, nec eas faciat suas, & ideo ad omnium restitutionem, quas contra hanc constitutionem acceperit, obligatus maneat, & idem omnino de distributionibus, quæ in anniversarijs defunctorum dari solent, sentiendum esse decernit.

SUMMARIUM.

1. Aliud est residere in loco beneficij, & aliud divinis officijs interesse.
 2. Et hinc, etsi alicui, qui divinis non adest, gratia facta sit, percipiendi nihilominus fructus sui beneficij, distributiones tamen quotidianas non lucratur.
 3. Nisi infirmitate, aut alia corporali necessitate fuerit impeditus.
 4. Aut absit à divinis ob evidentem Ecclesie illius utilitatem: si tamen habeat Ecclesie consuetudo, ut absentibus etiam distributiones dentur.
 5. Aut beneficij fructus in solis distributionibus consistant.
 6. Aut Papa privilegio absentibus etiam gratia distributionum facta fuerit.
 7. Possunt tamen Capitulares, propter Ecclesie utilitatem, etiam circa hæc distributiones statuta condere.
 8. Quamvis Juri conformis sit, & mentis Trident. ut distributionum harum usus tantum habeatur inter presentes, pro qualibet determinata hora.
 9. Quod idem censendum est de distributionibus in anniversarijs.
- NOTandum primò. Aliud est residere in loco beneficij, & aliud divinis officijs interesse, prout explicavi *lib. 4. tract. 2. c. 6.*

c. 6. in principio; quam ob rem, si Clericis absentibus, seu Jure communi, seu privilegio speciali concessum sit, ut pro præsentibus, seu residentibus in loco habeantur, non ideo tamen distributiones quotidianas, quæ ijs tantum dari solent, qui divinis officijs intersunt, lucrari debent, sicuti habetur etiam in c. de cætero 7. hoc. tit. c. licet 32. de præbendis, & docet Gl. hic. nor. 2. & V. adferunt.

2. Simili ratione, si cui Clerico, seu Jure communi, seu speciali indulgentia concessum sit, ut fructus beneficij, live præbendæ in absentia consequatur, eâ concessione non comprehenduntur distributiones quotidianæ, sicuti ex communi hic docet Ancharan. not. 3. sed ponendæ sunt aliqua exceptiones, quarum duæ sunt in textu.

3. Prima. Si Canonicus aliùve beneficiarius infirmitate, aliave corporali necessitate (ut, quia in carcere conclusus est) impeditus sit, quò minus ad Ecclesiam, seu divina officia veniat, qua de re dixi in cit. tract. 2. c. 7. q. 3. observatione 2. Et videtur potest Navar. consil. 11. hoc rit. editione 2. Dom. hie. qui verò. Anchar. col. 2.

4. Altera, si ob evidentem Ecclesiæ utilitatem Clericus à divinis officijs absens sit; idq; indistinctè procedit, si in loco beneficij commoretur; sin verò aliò discesserit, servari debet cujusque Ecclesiæ consuetudo. Exempli causâ, si Canonicus Romam mittatur, ut negotia Ecclesiæ agat, item Archidiaconus, dum Diæcesin visitat, distributiones percipere possunt, si Ecclesiæ statutum, aut consuetudo permittat, sicuti in cit. tract. 4. c. 7. n. 3. docui, & tradit hic Joannes Monachus, & Francus n. 1. qui addunt, valere etiam consuetudinem, ut beneficiarius, si ex via redierit, per duos, aut tres dies, distributiones lucrari debeat, etsi ad divina officia non accedat: propterea quòd redempti tempus aliquod ad respirandum, & negotia colligenda dandum sit, qua de re Azor 10. 2. lib. 7. c. 7. q. 2. At verò spectato Jure communi absentibus à loco beneficij distributiones quotidiana

non debeantur, c. cum non deceat 30. de electione in 6. Idemque arbitrò dicendum de ijs, qui à loco beneficij discedunt, infirmitatis causa, vel propter inimicitiam, aut infidias, eos nim. nò lucrari distributiones, quippe quæ secundum propriam institutionem, non nisi ijs, qui officijs intersunt, dari debent, quamvis ex consuetudine, aut statuto cujusque Ecclesiæ percipere possint, si causa, seu necessitas absentia justa & rationabilis sit, sicuti tradit Ancharan. col. 2. Azor. q. 11.

Tertia Exceptio addi debet, si beneficij fructus in solis distributionibus consistant, quia diebus singulis certi proventus in pecunia, victu, & vestitu, beneficij loco distribuuntur, cujusmodi beneficia in c. olim 16. de verborum significatione, manualia vocantur; hi enim fructus debentur absentibus, quibus Jure communi, aut speciali, beneficiorum proventus debeatur, sicuti tradit Gl. hic. V. receperit. Quod primò probabiliter extendi potest, quotiescunque ex communibus Capituli proventibus (quam mensam capitularem vocant, unde beneficiorum fructus singulis annuatim distribuuntur) aliqua pars detrahatur, aut olim detracta fuit ad distributiones quotidianas, ut ea ratione Canonici adigantur, ad præsentiam divinis officijs exhibendam, potuisse, & adhuc posse constitui, ut qui ex justa causa absentes sunt, & beneficiorum fructus lucrari possunt, v. g. Canonici, si in anno per tres menses absint juxta Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de reformatione etiam distributiones percipiant, sicuti Joan. Monachus hic docet: cum enim distributiones hæ in locum præbendæ succedant, ac veluti substituuntur, Jus Canonicum facile permittit, ut eadem de ijs dispositio fiat, quamvis communis sententia in contrarium sit, prout dixi in cit. n. 3. Alia verò ratio est de ijs distributionibus, sicuti & de anniversariorum portionibus, quæ secundum primam institutionem, adeoque propriam naturam, ijs tantum, qui Divinis officijs præsentibus sunt, dari debent,

libent, & idèd per particularem consuetudinem, aut statutum immutari non possunt, ut contra naturam fundationis, & cum diminutione divini cultus, etiam absentibus proveniant; talis enim consuetudo hinc reprobatur, & in Trident. *cit. c. 12.*

6 Quarta Exceptio, quòd Papa ex causa justa privilegium dare possit, ut absentes legitime unà cum fructibus etiam distributiones percipiant: nisi tamen id in concessione exprimat, non debet censeri comprehensum, tum quia nomine fructuum beneficij non veniunt distributiones quotidianæ, si ea sint distincta à fructibus præbendæ; tum quia talis concessio in absentia lucranda distributiones, insolita est, seu non facile à Sede Apostolica concedi solita, sicuti hic notat *Andreas V. adfuerint, Ancharan. n. 3.*

7 Notandum secundò, Capitulares circa fructus præbendarum, & distributiones lucrandas statutum rationabile, & sacris Canonibus non repugnans, propter Ecclesiæ utilitatem, ex majoris partis consensu, condere possunt. Ita sumitur ex hoc cap. & notat *Gl. V. ordinationem. Ancharan. not. 5.* Videri etiam potest *Gl. in c. 2. V. statutum, de verborum significatione in 6* ubi ait, licet Capitulum sine Episcopo statuta condere nequeat, quæ tangunt generalem statum Ecclesiæ, aut Episcopum, vel jura eius, si tamen statuunt super id, quæ non tangunt

Episcopum, vel jura ejus, sed sua propria negotia, videlicet circa distributionum obventiones, modum, aut tempus convocandi, vel comparandi in capitulo, valere capituli statutum sine Episcopo, prout etiam docui *lib. 1. tit. 4. c. 7. n. 10.*

Hoc adde. Honestius, & Juri communi magis congruum esse, ut pro omnibus horis unà cum officio Missæ, distributionum partitio fiat, & ita omnino faciendum, si distributiones de novo constituantur, secundum mentem Trident. *sess. 21. c. 3. de reformatione.* & videre licet apud *Garziam p. 3. c. 2. n. 487.* Interim valet consuetudo quarundam Ecclesiarum, quæ distributiones ordinant per certas horas, & Missæ officium, sicuti ex communi tradit *Navar. consil. 9. hoc tit.*

Notandum tertio. Distributiones, quæ dantur in anniversarijs defunctorum, æquiparantur distributionibus quotidianis, ut præsentibus tantum obveniant, quare *Domin. & Francus in fine hujus cap.* ajunt, præterite constitutione damnari consuetudinem, aut statutum, siquod sit in aliqua Ecclesia, ut Canonici, aliique Clerici, qui funeri non interfunt, æquè, ac alij præsentibus, cereos accipiant: si tamen infirmitate, vel ob Ecclesiæ negotia impediti sint, tunc nihil obstat eos cereos vel similes obventiones accipere, uti ex suprâ dictis patet.

TITULUS V. DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.



Um Clerici in titulis Ecclesiasticis, quibus incorporati sunt, residere, & officium præstare teneantur, æquum & necessarium est, ut ipsis Præbendæ obveniant, & quibusdam eorum Dignitates, videlicet ijs, qui alijs præsentibus, aut majora in Ecclesijs

officia administrant, juxta Juris regulam 55. in 6. qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra,

CAPITVLVM I.

Ut nullus.

PARAPHRASIS.

Nemo, sive ex Clero, sive ex populo bona Eccle-